

gnum obligationis hominis ad Deum; sed homo proxime obligatur Deo per actum voluntatis; ergo decet, ut tale signum sit in voluntate. Sed in primis hæc fundamenta Scoti firma non sunt. Nam primum supponit gratiam esse idem cum charitate, et non esse in essentia animæ, quod est falsum. Præterea sumit characterem esse dispositionem ad gratiam. Quod proprie etiam intellectum non est verum; et ad summum dici potest dispositio moralis, secundam quandam congruitatem vel divinam ordinationem, ad gratiam sacramentalem; non est autem necesse, quod hujusmodi dispositio sit in eodem subjecto, in quo est forma, sed satis est quod sit in eodem supposito. Sicut contritio est dispositio ad gratiam, et sanctitas Beatæ Virginis fuit dispositio ad maternitatem divinam; et scientia, vel prudentia est dispositio ad aliquam moralem dignitatem, vel jurisdictionem. Secundum etiam fundamentum facile diluitur, primo, quia character non tam est signum obligationis, quam muneris, aut status suscepti, qui interdum secum affert aliquam obligationem. Sicut in iudice, signum quod defert, non est signum obligationis, sed potestatis, ad quam sequitur obligatio. Secundo, quia nulla ratio cogit ut signum obligationis sit in eadem facultate, ex qua nascitur obligatio. Nam etiam homo interdum voluntate se obligat et vendit in servum; signum autem servitutis defert in facie. Unde ex præcisa ratione signi non videtur posse colligi, in quo subjecto sit character, quia signum non tam ponitur in aliquo, ut ipse utatur eo, quam ut ab aliis dignoscatur et distingui possit. Et ideo in ea parte collocari solet, quæ est aptior ad hujusmodi finem, scilicet ad significandum aliis, ut in corporalibus rebus facile constat. In spiritualibus autem, quia anima et potentia ejus æque patent spiritualibus oculis, quibus tantum videri possunt, ideo ex hac parte æque apta sunt, ut in eis collocetur spirituale signum; ergo ex hoc capite non potest satis judicari, in quo subjecto sit character, sed aliunde ferendum est iudicium. Imo addo, si sola ratio signi consideretur, potius esse ponendum characterem in essentia animæ, quam in voluntate, vel aliqua potentia, ut statim ostendam probando nostram sententiam, ubi rationes alias contra Scotum afferemus.

7. *Quarta sententia.* — Quarta sententia est characterem esse in intellectu. Hæc est D. Thom. hic, ut vidimus quam defendunt

omnes Thomistæ, Cajet., Soto, et Ledesm., et Palud., in 4, d. 4, quæst. 2, art. 2; et ibid. Capreol.; Richard., d. 5, art. 2, quæst. 2. Fundamentum D. Thom. est, quia character ordinatur ad actus divini cultus; ad actum autem immediate ordinatur potentia animæ, et non essentia; ergo character immediate est in potentia, et non in essentia animæ. Rursus actus divini cultus, ad quem character ordinatur, est quædam fidei protestatio; ergo oportet, ut character sit in cognoscitiva potentia, in qua est virtus; hæc autem est intellectus. Hæc sententia est quidem probabilis propter auctoritatem D. Thomæ; si tamen recte consideretur fundamentum ejus, supponit doctrinam prius a D. Thomæ traditam, scilicet characterem ordinari ad actus divini cultus per modum potentia activæ, vel passivæ. Cum autem nos dixerimus, non esse veram potentiam, sed solum per modum signi, quo deputatur et consignatur homo ad cultum Dei, non est necesse, ut sit in potentia operante. Quia non quidquid ordinatur ad actum, est in potentia, sed id, quod ordinatur per modum principii efficientis, seu coefficientis ipsum actum; quod autem ordinatur tantum per modum signi, potest esse in quacumque parte vel subjecto, in quo sit commodius ad significandum; sicut militiæ signum ponitur in pectore, vel capite, et tamen militia manibus exercetur. Illa ergo ratione non satis probatur characterem esse in potentia animæ magis quam in essentia. Et hinc fit, ex eo quod cultus Dei sit protestatio fidei per exteriora signa, non recte sequi characterem esse in intellectu, ubi est fides, tum quia non oportet signum esse in eodem subjecto, in quo est res significata; tum etiam quia si illa ratio valida esset, potius constituendus esset character in voluntate, quam in intellectu, quia immediate non ordinatur ad fidem, sed ad cultum Dei. Quia licet a fide dirigatur, tamen proxime a religione elicitur, quæ est in voluntate; ergo vel ponendus est in utraque potentia, vel in neutra, vel certe si in una ponitur potius quam in altera, non debet hujus ratio sumi ex re significata, sed ex eo quod character aliquid potius conferat ad actus unius potentia, quam alterius, quod tamen verum esse non potest, ut infra ostendam.

8. *Quinta sententia.* — Quinta ergo sententia est, characterem esse immediate in essentia animæ. Hanc tenet Marsil., in 4, quæst. 4, art. 4, et Gabr., d. 6, q. 2, art. 3,

dub. 2, ubi primum ait, hanc dubitationem non habere locum in sua et Nominalium sententia, quod intellectus et voluntas nullo modo distinguantur a substantia animæ. Deinde vero subjungit, supposita distinctione potentialium ab anima, potius esse characterem ponendum in anima quam in potentiis; ac tandem addit, si ponendus esset in potentia, potius esse ponendum in voluntate, quam in intellectu, quia in voluntate est gratia, quæ idem est cum charitate. Fundamentum Marsilii est, quia signum, et id quod significatur, debent esse in eodem subjecto. Sed character est signum eorum, quæ per sacramenta conferuntur, quibus tota anima perficitur, ut sunt fides, spes, charitas: ergo. Secundo, quia per characterem deputatur anima, et consignatur ad aliquod ministerium spirituale; ergo debet esse in ipsa anima. Sed hæc fundamenta non sunt efficacia. Quia in prima ratione major est falsa, vel saltem non necessaria, ut sæpe dictum est; alias debuisset Marsil. illa ratione concludere, esse characterem etiam in voluntate et in intellectu, quia significat perfectionem seu augmentum fidei et charitatis. Secunda vero ratio solum probat characterem esse in homine, vel in anima, non tamen quod sit in substantia animæ immediate. Melior est ratio, quam adducit Gabr., et quam etiam Durand. attigerat, scilicet, quia character non est principium alicujus actus intellectus, aut voluntatis, quam statim latius explicabimus.

9. *Conclusio.* — In hac igitur re, quæ satis incerta est, verisimilius videtur, characterem esse immediate in substantia animæ. Ratio sumi potest primo, ex munere, seu officio signi; quando enim aliquid imprimitur alicui rei, ut in signum manifestans rem illam ut destinatum ad aliquod munus, eamque a cæteris distinguens, in illa parte poni debet, quæ notior est, et aptior ad notificandam rem illam, et distinctionem ejus. Sed substantia animæ secundum se notior est, et prior, quam potentia. Ergo cum hoc signum sit spirituale, atque adeo proportionatum ipsis rebus, quatenus secundum se cognoscibiles sunt, poni debet in ea re, quæ secundum se notior est; ergo debet poni in substantia ejus. Et hæc ratio eadem probabilitate ostendit, si character ponendus esset in potentia, et non in essentia, potius esse ponendum in intellectu, quam in voluntate, quantum est ex hoc capite, scilicet ex ratione signi, quia intellectus secundum se est notior ac prior. Secunda ratio et efficacior est, quia character

non est principium alicujus actus intellectus aut voluntatis pertinentis ad cultum Dei vel usum sacramentorum; ergo non est constituendus in intellectu, neque in voluntate; ergo in substantia animæ. Antecedens probatur, discurrendo per singulos characteres. Nam primo character baptismi datur, ut facultas moralis ad recipiendum alia sacramenta; sed ad hujusmodi receptionem, ad summum requiritur in intellectu actus fidei, vel prudentiæ. Ad hos autem actus efficiendos non concurrunt character baptismi, ut potentia activa, neque etiam ut habitus, ut omnes sine controversia fatentur, tum quia character baptismi ponitur, ut potentia passiva; tum etiam quia hi actus habent alia sufficientia principia, scilicet habitum fidei et dona intellectus ac virtutem prudentiæ. Atque eadem ratio probat de actibus voluntatis. Quia ad recipiendum sacramentum, ad summum requiri potest in hac potentia voluntas recipiendi sacramentum, quæ si naturalis sit, ad illam non requiritur principium supernaturale; si vero sit supernaturale et objecto proportionata, erit elicit a virtute religionis, et fide ac prudentia regulata. Requirit etiam potest bona dispositio suscipientis, non ad substantiam sacramenti, sed ut digne sumatur. Et de hac constat non esse a characterem, ut principio efficienti, sed a charitate, poenitentia et virtutibus. Secundo idem discursus facile fieri potest in characterem confirmationis; nam actus ad quem ordinatur hic character, est constans fidei et religionis Christianæ professio; ad hunc vero effectum ex parte intellectus hi actus requiri possunt, scilicet, fidei, prudentiæ, charitatis, obedientiæ, religionis, fortitudinis, ac similium virtutum. Neque aliquis alius excogitari potest, qui in intellectu et voluntate non habeat sua propria et sufficientia principia, a quibus, etiam si character non adsit, connaturaliter et perfecto fieri potest, et character per se nullam vim ad eos eliciendos confert. Quod in hunc modum etiam confirmatur, quia si character esset principium ad eliciendos hos actus, esset habitus intellectualis, aut appetitivus; diceret etiam ordinem ad objecta istorum actuum; denique esset virtus intellectus, aut voluntatis, theologica vel moralis. Tertio, eadem ratio accommodari potest ad characterem Ordinis, qui datur ad sacramenta ministranda. In ministerio enim sacramentorum nullus actus intellectus vel voluntatis requiritur ad substantiam sacramenti, nisi intentio faciendi

sacramentum, quæ formaliter dicit actum voluntatis, et supponit in intellectu aliquam cognitionem, de quibus actibus eadem est ratio. Quia si cognitio sit naturalis, qualis esse potest in hæretico ministrante sacramentum, ad illam non requiritur supernaturalis potentia; si vero sit supernaturalis, erit vel a fide, vel a prudentia, vel ab aliquo intellectuali dono; nec fingi aut excogitari potest aliud genus actuum intellectualium, propter quod ponatur character. Similiter intentio faciendi sacramentum nihil aliud est, quam voluntas conferendi illud, quæ si supernaturalis sit, ad charitatem, religionem, aut similem aliam virtutem pertinebit; ergo nullus est actus intellectus, aut voluntatis, propter quem efficiendum oporteat characterem poni in intellectu vel voluntate.

40. *Intentio ad sacramentum requisita non physicam, sed moralem habet efficaciam, ex eo quod sit a tali persona.* — Ad hanc vero rationem respondere videtur Palud. supra, quod licet character non eliciat, nec dirigat intentionem dandi sacramentum; nam æqualiter, inquit, possunt habere hanc intentionem, qui habet characterem, et qui non habet; tamen character ad hoc deservit, ut intentio habeat virtutem, quam alias non haberet. Sed hoc nihil omnino confert. Primo, quia non potest accommodari characteri confirmationis. Secundo, vix etiam locum habet in characterem baptismi, nam licet intentio recipiendi sacramentum, sit necessaria in adultis, tamen illa intentio non confert aliquid per modum efficientis ad valorem sacramenti; sed solum est necessaria conditio, ut utens ratione sit capax sacramenti, ex suavi Dei providentia, propter modum operandi talis subjecti. Unde etiam ad ipsum baptismum, qui nullum characterem supponit, requiritur illa intentio; in infantibus vero non requiritur, neque ad baptismum, neque ad alia sacramenta, quorum ipsi sunt capaces. Tertio, neque in characterem Ordinis id quicquam valet, quia intentio ministri nullam in se virtutem physicam recipit. Quis enim fingat, qualitatem aliquam spiritualem effici a characterem circa ipsummet actum intentionis, ut sit efficax? hoc enim nullus hætenus finxit, et improbabilius est, quam quod in ipsis sacramentis imprimatur qualitas aliqua seu virtus physica. Quia illa interior intentio immediate non attingit effective gratiam, quæ est effectus sacramenti, quia hæc immediate fit a solo sacramento, ut ab instrumento, ut supra dictum est; versatur ergo

illa intentio immediate solum circa ipsum sacramentum; ad faciendum autem totum id, quod est sensibile in sacramento, non est necessaria supernaturalis virtus, sed ipsa voluntas sua naturali efficacia sufficit, ut supra ostendi; ad faciendum vero sacramentum in esse sacramenti non requiritur aliqua virtus, vel nova actio physica, quia illud solum habet significationem ex institutione, ut supra etiam dixi; ergo superflue esset conficta omnis virtus, quæ, per modum qualitatis factæ per actionem characteris, additur intentioni sacerdotis, ut sit efficax; sed hoc solo quod illa voluntas et intentio est ab homine designato a Christo ad hoc munus, est efficax ad faciendum hoc sacramentum; ad hoc autem impertinens est, quod character sit in potentia, vel in essentia. Imo, si propter hoc ponendus esset in potentia, potius esset ponendus in voluntate, quam in intellectu, quia intentio, quæ futura est efficax, in voluntate est formaliter, et cognitio intellectus requiritur ut conditio necessaria ad actum voluntatis. Sed re vera in neutra potentia est necessarius ad hunc finem, sed solum quod ille homo sit consignatus; optime autem et melius quodammodo et accommodatius designatur homo per qualitatem impressam substantiæ animæ ejus, quam potentiæ. Adde interdum intentionem hanc esse efficacem sine ullo characterem, ut constat in ministro baptismi, aut sine characterem qui sit per modum facultatis activæ, ut in matrimonio, quia in his ut intentio sit efficax, solum requiritur, juxta divinam institutionem, quod sit a tali persona, quia illa non est efficacia physica, sed moralis; idem ergo erit, quando ex institutione divina requiritur, quod intentio sit a ministro characterem designato; non enim necesse est ut character aliquid physice influat in intentionem, sed solum quod designet personam ad illud munus; hoc enim posito, si cætera necessaria concurrant, erit intentio moraliter efficax ad conficiendum sacramentum. Neque hæc doctrina pugnat cum ea, quam supra tradidimus de efficacia sacramentorum, nam tota illa efficacia proprie convenit ipsis sacramentis respectu gratiæ; minister vero non habet per se efficientiam immediatam, nisi circa ipsum sacramentum, circa quod nullam exercet actionem physicam, et supernaturalem, quia in sacramento nulla perfectio realis ac supernaturalis recipitur, ut latius supra explicatum est.

41. *Quædam responsio refellitur.* — Capa-

*itas potentiarum animæ ad quas qualitates se extendat.* — Aliam responsionem indicat Soto loco supra citato, ubi diserte concedit, characterem non ordinari ad cognoscendum, neque ad appetendum, sed ad operandum, scilicet ad protestandum fidem; et respondens Durando ait, quod licet character non sit cognoscitivus, est tamen facultas fidei ad colendum Deum, sicut ipsa docet; nam sicut ars est cognitio practica, ita fides characterem utitur ad opus. Sed non satis intelligo, quod tendat hæc responsio, aut quomodo argumentis factis satisfaciatur. Nam primum, si character non est cognoscitivus, sicut neque appetitivus, cur ponitur in intellectu, potius quam in voluntate, cum protestatio fidei, quæ est per cultum Dei, proprius ac formalis pertineat ad voluntatem, quam ad intellectum? Secundo, si character est operativus, tanquam facultas fidei, inquiri, quænam sit ejus operatio. Aut enim est actus interior spiritualis, et immanens, et ita non potest esse nisi actus intellectus, vel voluntatis; aut est actus exterior et corporalis, et ad hunc actum nec character spiritualis potest concurrere, ut supra ostensum est; nec, etiamsi posset, propter hunc concursum oporteret ipsum esse in intellectu, magis quam alibi. Rursus, si est operativus, vel operatio ejus est actio vitalis, et sic esse non poterit nisi intellectus, vel voluntatis; vel non est actio vitalis, sed per modum transeuntis actionis, sed neque explicari poterit qualis sit hæc actio, neque quid deserviat ad finem conficiendi sacramenta, nec quo fundamento nitatur, ut satis patet ex dictis sectione præcedenti. Ac denique admissio hoc genere actionis, impertinens est, propter illam, characterem ponere in intellectu. Dicit aliquis, esto character non sit operativus proprie, ac physice, sed solum constituatur per modum signi, nihilominus posse optime poni in intellectu solum ut ipsum ornet, et perficiat, et hoc modo consignet hominem, sicut necessario dicturi sumus, servata proportionem, etiam si teneamus, illum esse in essentia animæ. Quod si hoc est possibile, unde constare potest, non ita factum esse? Videtur enim esse congruum, ut sicut anima per potentias suas colit Deum, ita etiam in aliqua potentiarum consignetur ac destinetur ad illum cultum, et consequenter congruum etiam erit, ut hoc fiat in intellectu, qui est primaria potentia, in qua est primum fundamentum cultus Dei, quod est fides. Respondeo, si aliquis esse potest probabilis

modus explicandi, et defendendi opinionem D. Thomæ, fortasse nullum alium excogitari posse faciliorem, aut probabiliorem. Valde tamen dubito in primis, an fuerit hæc mens D. Thomæ, propter ea quæ dixi in fine sectionis præcedentis. Deinde dubito, an potentiæ animæ sint capaces alicujus qualitatis, quæ nec sit actus secundus talis potentiæ, neque actus primus disponens, vel dans virtutem ad simpliciter agendum, vel saltem ad melius et facilius eliciendum actum talis potentiæ, quia hujusmodi potentia tota est natura sua destinata ad operandum, et totum suum esse et speciem suam recipit cum hæc inclinatione seu habitudine ad actus et objecta; et ideo non videtur posse perfici in suo esse per aliquam qualitatem, quæ non sit actus secundus, nisi perficiatur in activitate sua in ordine ad actum secundum. Tandem, etiam si admittamus, hoc esse possibile, videtur certe major esse congruentia, quæ supra adducta est, ut ponatur character in ipsa substantia animæ, quæ principaliter destinatur ac designatur ad sacrum ministerium, et quæ est principale principium omnium actuum divini cultus; et quia fere non est major ratio de intellectu, quam de voluntate, ita convenientius ponitur in subjecto communi utrique.

#### ARTICULUS V.

Utrum character insit animæ indelebiter (4, d. 4, quæst. 1, art. 3, quæst. 4. Et Rom. 7, col. 2).

1. *Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod character non insit animæ indelebiter. Quanto enim aliquid accidens est perfectius, tanto firmiter inheret. Sed gratia est perfectior, quam character, quia character ordinatur ad gratiam, sicut ad ulteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multo magis character.*

2. *Præterea, per characterem aliquis deputatur divino cultui sicut dictum est (art. 1 et 2 hujus quæst.). Sed aliqui a cultu divino transeunt ad contrarium cultum, per apostasiam a fide. Ergo videtur, quod tales amittant characterem sacramentalem.*

3. *Præterea, cessante fine, cessare debet et id quod est ad finem, alioquin frustra remaneret, sicut post resurrectionem non erit matrimonium, quia cessabit generatio, ad quam ordinatur matrimonium. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non*

remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, sed totum in nuda veritate. Ergo character sacramentalis non manet in perpetuum in anima, et ita non est indelebiter.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 2 contra Parmen. (cap. 13, a med., t. 7): Non minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis nota militiæ. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo, qui veniam meretur ab Imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 3 hujus quæst.) character sacramentalis est quædam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus, ut scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, et eorum, quæ pertinent ad divinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem, sicut id, quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est æternum, secundum illud Ps. 109: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et inde est, quod omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium ejus, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis, nam Ecclesiæ vel altaris manet consecratio semper, nisi destruat. Cum igitur anima sit subjectum characteris, secundum intellectivam partem, in qua est fides, ut dictum est (art. præc., ad 3 arg.), manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est, et incorruptibilis, ita character indelebiter manet in anima.

Ad 1 ergo dicendum, quod aliter est in anima gratia, et aliter character. Nam gratia est in anima, sicut quædam forma habens esse completum in ea; character autem est in anima, sicut quædam virtus instrumentalis, ut supra (art. 2) dictum est. Forma autem completa est in subjecto, secundum conditionem subjecti, et quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu viæ, consequens est, quod gratia insit animæ mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis, et ideo character indelebiter inest animæ, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotii Christi, a quo derivatur character, sicut quædam instrumentalis virtus.

Ad 2, dicendum, quod sicut August. (lib. 1

cont. Dona., parum a princip., tom. 7) dicit: Nec ipsos apostatas videmus carere baptismate, quibus utique per penitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur. Et hujus ratio est, quia character est virtus instrumentalis, ut dictum est (in solut. præced.). Ratio autem instrumenti consistit in hoc, quod ab alio moveatur; non autem in hoc, quod ipsum se moveat, quod pertinet ad voluntatem. Et ideo quantumcumque voluntas moveatur in contrarium, character non removetur, propter immobilitatem principalis moventis.

Ad 3, dicendum, quod quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam.

#### COMMENTARIUS.

4. *Indelebitas characteris, de potentia ordinaria, intelligenda.* — *Objectio.* — *Solutio prima.* — *Solutio secunda.* — Poterat in disp. præced. quinta sectio seu dubitatio addi, an character sit qualitas incorruptibilis natura sua; hanc vero omisimus explicandam in hoc commentario, quia fere coincidit cum quæstione hujus articuli; idem enim est characterem esse indelebilem, et permanere semper, et esse aliquo modo incorruptibilem. Respondet ergo D. Thomas unica assertionem, characterem esse indelebilem. Quæ absolute de fide est, nam sub his verbis definitur in dictis Concil. Florent. et Trident. Potest autem varios habere sensus. Primus est, quem Cajetanus hic notavit, scilicet characterem semel animæ impressum, ita illi adhærere, ut dimoveri amplius non possit, etiam per potentiam Dei absolutam. Et hic sensus, ut recte ipse docet, est falsus, et a nemine intentus, quia, cum character, sit qualitas realis, quæ a Deo conservatur, potest ab eodem per suspensionem influxus corrumpi seu destrui; non enim ex necessitate naturæ, sed libere illum conservat. Sed potest objici contra hoc ratio D. Thomæ, quia res consecrata, dum manet integra, necessario manet consecrata, nec potest amittere consecrationem etiam de potentia absoluta, ut patet in calice consecrato; sed D. Thomas affirmat, characterem

esse ad hunc modum indelebilem, quia anima semel consecrata non potest non manere consecrata. Respondetur primo, similitudinem non tenere in omnibus, nam character est qualitas realis intrinsece manens in subjecto, et pendens in conservari a Deo; consecratio vero calicis solum est denominatio extrinseca ab actu præterito. Unde quia ad præteritum non est potentia, videri potest illa consecratio inamissibilis, durante subjecto; non vero æque per characterem, quia pendet ex reali præsentia characteris. Secundo dicitur, assumptum esse falsum. Potest enim Deus facere ut calix, aut quælibet alia res similis, semel consecrata, maneat, et perdat consecrationem, vel execrando illam aliquibus aliis cæremoniis, vel actibus contrariis, vel certe volendo, et statuendo, ut non sit amplius destinata ad usus sacros; sicut cessante lege veteri fecit, ut templum et vasa ejus, quæ antea erant quodammodo sacra, suum statum et dignitatem amitterent. Atque idem videre licet in similibus moralibus de hominibus, quæ per contrariam voluntatem, committi possunt. Cum ergo dicitur, quod res, semel consecrata, semper consecrata manet, nisi destruat, intelligendum est, non in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed vel ex natura rei, vel quantum est ex parte ipsius rei consecratæ; quanquam ab extrinseco agente habente sufficientem potestatem possit auferri consecratio, quæ obiter notanda sunt pro his, quæ de voto solemnium tractantur 2. 2, quæst. 88, art. 11.

2. *Quod character sit indelebilis in vita, de fide est; quod autem etiam post mortem, probabile.* — Secundus sensus est, characterem esse indelebilem, quia de facto perpetuo manebit in anima, quamdiu ipsa durat in quocumque statu; et hoc modo explicat conclusionem suam D. Thomas in solut. ad 3, qui sensus, licet verus fortasse sit, non videtur de fide, quia Concilia non intendunt definire, characterem etiam post mortem durare; non enim hoc erat necessarium, vel spectabat ad dogmata fidei. Nam quod character sit indelebilis, ex eo præsertim colligitur, quia sacramenta, quæ illum imprimunt, iterari non possunt; sed ad hoc satis est, quod sit indelebilis, quamdiu vita durat; hoc ergo solum videtur in rigore de fide. Nihilominus tamen prædictus sensus verus censetur, quia et D. Thomas et cæteri Scholastici ita sentiunt. Item, quia Concilia absolute loquuntur, et possunt commode sine limitatione intelligi.

Item, quia si moriatur sacerdos, et rursus suscitetur, manebit sacerdos, nec indigebit nova ordinatione; ergo signum est, conservari characterem post mortem; et idem argumentum fieri potest de quolibet homine baptizato et confirmato. Item, quia si character usque ad mortem durat, non est cur in morte pereat, cum spiritualis sit, et a corpore non pendeat, et in beatis manere possit sine ulla imperfectione repugnante illi statui, et cum perfectione, quam ex se affert, quia de se est bona qualitas animæ perficiens illam; et deservire etiam potest in eo statu, ut ibi designati specialiter sint qui hoc beneficium accipere, abundantius fruendi divitiis Christi in lege gratiæ. De damnatis vero adhuc est res magis dubia; tamen etiam est probabile in illis manere ad eorum ignominiam, ut D. Thomas ait, et ut notior sit eorum ingratitude, qui cum in hac vita sacramentis Christi potiti fuerint, illorum gratia bene uti noluerunt.

3. *Characterem esse indelebilem, dupliciter intelligi potest.* — Tertius ergo sensus est, characterem esse indelebilem, quamdiu homo vivit, ita ut sacramentum, per quod ille datur, iterari non possit. Et hoc sensu, ut dixi, est conclusio de fide. Tamen duobus modis explicari potest, et ita duplicem habere sensum; et duplex ejus ratio potest reddi. Primus ergo sensus hujus veritatis esse potest, quod Deus conservat characterem semel impressum semper, seu toto tempore vitæ, neque illum aufert propter quodcumque peccatum, et quoad hoc saltem est conclusio de fide, quia hoc, ut minimum, necessarium est ad prædictam veritatem; et quia hoc etiam sufficit, nihil amplius de fide est. Hujus autem providentiæ seu conservationis divinæ respectu characteris, præter naturam rei, de qua statim dicemus, reddi potest ratio. Primo, ex parte sacerdotii Christi, cujus participatio, seu consecratio, quæ ab illo manat, debet esse perpetua, quantum est ex parte ejus, atque adeo, quamdiu subjectum talis consecrationis duraverit. Nam omnis consecratio de se perpetua est, si subjectum duret, et causa efficiens perpetua et sufficiens sit; ergo consecratio etiam, quæ fit per characterem, est perpetua de se, durante subjecto ejus, quia causa efficiens illius, quæ est sacerdotium Christi, perpetuum est et efficax; ergo et character, quo formaliter fit hæc consecratio, perpetuus est et indelebilis. Atque in hunc modum recte explicatur ratio D. Thomæ